

XIII, 02


XIII, 6. a

3, 645.



Contenta

- 1., *Orationes propriae de Sanctis dioeceseos
Misenensis Pragae 1752.*
- 2., *Orationes propriae de Sanctis exemplae dioecesis
Romanae misnensis; una cum adnexis, ad vespe-
ras, Laudes et Horas, Budisinae 1776.*



ORATIONES PROPRIÆ

DE

S A N C T I S

EXEMPTÆ DIOECESIS

ROMANO - MISNENSIS;

*UNA CUM ADNEXIS*AD VESPERAS, LAUDES,
& HORAS,*SECUNDUM CELEBRITATEM FESTI,*

ANTIPHONIS NOVIS, & HYMNIS

*Anno 1773. editis.**Quibus & Orationes de iis sanctis, quorum Officia
pro Universa Ecclesia concessa novissime prodierunt,
inserta sunt.*

Budissinæ, Litteris A. H. Winckleri
Typographi, Anno MDCCLXXVI.

ORATIONES PROPTIA

SANCTIS

EXIMIE DIGNIS

ROMANO IMPERIO

AD HENRICUM 2. ILLUSTRE

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

IN

A. 2.
Ifra

I
hab

I

nen

labu

I

tes

divi

V

ejus

H

lan

Ean

mae



ORATIONES PROPRIÆ
DE
S A N C T I S

EXEMPTÆ DIOECESIS ROMANO-MISNENSIS.

Die 15. Januarii.

SS. Faciei Salvatoris, *Duplex major.*

IN I. VESPERIS.

I. Antiph. EXulta, & lauda habitatio Sion:
quia magnus in medio tui Sanctus
Israel; cujus vultus, ut petra durissima.

Pfalm. Dixit Dominus. *cum reliquis de Domi-
nica, & loco ultimi:* Laudate Dominum
omnes gentes.

II. Antiph. Justi confitebuntur nomini tuo, &
habitabunt recti cum vultu tuo.

III. Antiph. Beatus populus, qui scit jubilatio-
nem. Domine, in lumine vultus tuiambu-
labunt.

IV. Antiph. Laudabunt Dominum, requiren-
tes eum; vultum ejus deprecabuntur omnes
divites plebis.

V. Antiph. Quærite Dominum, & virtutem
ejus; quærite faciem ejus semper.

Capitulum. Zach. 8. v. 20.

HÆc dicit Dominus: usquequo veniant po-
puli, & habitent in civitatibus multis. Et va-
lant habitatores, unus ad alterum, dicentes:
Paramus, & deprecemur faciem Domini, &
queramus Dominum Exercituum,

Hymnus.

O Sole Facies pulchrior,
 Quæ sola superis sedibus
 Largiris æternum diem,
 Et Cælitum beas choros!
 Mortale nos genus aspice,
 Quorum impotens quondam furor,
 Per sputa, spinas, verbera,
 Speciem Tibi, decusque abstulit,
 Quæ sacra restant Stigmata,
 Tantum exprobrant nobis scelus;
 Sperare sed simul jubent,
 Reisque parci postulant.
 Amoris o Miraculum!
 Quæ debitæ sunt fontibus,
 Formam nocentis induens
 Luit ipse pœnas Filius.
 Quin ergo amorem reddimus,
 Et igne sancto fervidi
 Sequamur impigre, Dei
 Exempla quo dudum vocant.
 Gressus Redemptor dirige,
 Ut consequamur terminum,
 Tuique vultus gloriæ
 Reddamur olim compotes.
JESV, Tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, & almo Spiritu
 In sempiterna Sæcula. Amen.

Sic terminantur Hymni ad reliquas Horas.

*. Signatum est super nos lumen vultus tui
 Domine.

℞. Dedisti lætitiã in corde meo,

Ad Magnificat Antiphona.

Vidimus eum, quasi, cui non erat species, neque decor; despectum, & novissimum virorum: virum dolorum, & scientem infirmitatem, & cujus absconditus est vultus.

Oratio.

Domine JESV Christe, invisibilis Patris vera imago! Qui sanctissimæ Faciei tuæ effigiem fidelibus reliquisti: da gratiam, quæsumus, ut per eam inter sæculi hujus tenebras illustrati, Te à facie ad faciem in gloria videre mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Commem. i. preced. Antiph. Amavit eum Dominus.

℣. Justum deduxit. *Oratio:* Deus, qui populo tuo.

2. com. S. Mauri Abbatis. Antiph. Similabo eum. *℣.* Amavit eum Dominus, *Oratio:* Intercessio.

AD LAUDES & PER HORAS.

I. Antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, decorem & fortitudinem induit Dominus, acinctus potentia.

Psalms. Dominus regnavit. *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

II. Antiph. Justitia, & judicium præparatio sedis tuæ: misericordia & veritas præcedent faciem tuam.

III. Antiph. Miserere nostri Domine, & benedic nobis: Vultum tuum illumina super nos, & miserere nostri.

IV. Antiph. Benedictus es Domine in firmamento

mento Cæli, quia non avertisti faciem tuam
à populo tuo.

V. Antiph. Cantate Domino, quia magnifice
fecit: annunciate hoc in univèrsa terra.

Capitulum. 2. *Corint.* 4.

QUONIAM Deus, qui fecit de tenebris lumen
splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris
ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie
Christi JESU.

Hymnus.

JESU voluptas cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Mane nobiscum Domine,
Tuique vultus lumine
Dispelle mentis tenebras,
Salutis monstra semitas.

Cor nostrum quando visitas,
Mox pura lucet veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Quem tuus amor fauciat,
Nil præter Jesum cogitat:
Quam felix est, quem faciat!
Quid ultra sit, quod cupiat?

O Rex supernæ gloriæ!
Non tantum in ænigmate,
Sed Te fac brevi cernere
A facie ad faciem. Amen.

V. Domine in lumine vultus tui ambulabunt,
R. Et in nomine tuo exultabunt tota die.

Ad

FESTA JANUARIJ.

7

Ad Benedictus Antiph. 2. *Corinth.* 3. 18.

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini specularantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Oratio.

Domine JESU Christe, invisibilis Patris vera imago! Qui sanctissimæ Faciei tuæ effigiem fidelibus reliquisti: da gratiam, quæsumus; ut per eam inter sæculi hujus tenebras illustrati, Te à facie ad faciem in gloria videre mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Commem. S. Mauri Abbatis. *Antiph.* Euge serve bone. *℣.* Justum deduxit. *Oratio:* Intercessio nos.

Ad Primam.

Antiph. Speciosus forma. *Capit.* Regi sæculorum. *In R. brevi.* *℣.* Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Justitia, & judicium.

Capitulum. *Zachar.* 8.

Hæc dicit Dominus: usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis, & vadant habitatores unus ad alterum dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum.

R. breve. Signatum est super nos * Lumen vultus tui Domine. Signatum est.

℣. Dedisti lætitiã in corde meo. * Lumen vultus. Gloria Patri. Signatum est.

℣. Ne avertas à me faciem tuam Domine.

A 4

R.

R. Et ne declines in ira à servo tuo.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Miserere nostri.

Capitulum. Zach. 8.

VAdam etiam ego, & venient populi multi,
& gentes robustæ ad quærendum Dominum
Exercituum in Jerusalem, & deprecandam fa-
ciem Domini.

R. breve. Ne avertas à me * Faciem tuam
Domine. Ne avertas.

℣. Ne declines in ira à servo tuo. * Faciem tuam,
Gloria Patri. Ne avertas.

℣. Faciem tuam illumina super servum tuum
Domine.

R. Et doce me justificationes tuas.

Oratio ut Supra.

Ad Nonam.

Antiph. Cantate Domino.

Capitulum. Zach. 8.

HÆc dicit Dominus Exercituum: In diebus
illis, in quibus apprehendent decem homines
ex omnibus linguis gentium, & apprehendent
simbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum,
audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est.

R. breve. Faciem tuam illumina super * Ser-
vum tuum Domine. Faciem tuam.

℣. Et doce me justificationes tuas. * Servum.
Gloria Patri. Faciem tuam.

℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.

R.

FESTA JANUARIIL. 9

Et in nomine tuo exultabunt tota die.

Oratio ut in Laudibus.

IN II. VESPERIS.

Antiphona: Speciosus forma, cum reliquis de
Laudibus. Psalmi de Dominica. Capitulum,
Hymnus, & V. ut in I. Vesperis.

Ad Magnificat Antiphona.

Respice nos Domine, & ostende nobis lumen
miserationum tuarum; à mane usque ad ve-
esperam esto brachium nostrum, & salus nostra
in tempore tribulationis.

Oratio ut in Laudibus.

Commem. S. Marcelli Papæ & M.

Antiph. Ilte Sanctus. V. Gloria & honore.

Oratio: Preces Populi. ut in Romano.

Die 22. Januarii.

De S. Vincentio Martyre.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut
qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognosci-
mus: beati Vincentii Martyris tui intercessione
liberemur. Per Dominum.

Die 25. Januarii.

Pro Commem. S. Projecti Episc. & Mart.

In Vesp. Antiph. Ilte Sanctus. V. Gloria, & honore.

In Laudibus Ant. Qui odit. V. Justus ut palma.

Oratio.

Martyris tui, atque Pontificis Projecti nos,
quæsumus Domine, interventio gloriosa com-
mendet: ut quod nostris actibus non meremur,
ejus precibus consequamur. Per Dominum.

A 5

Die

Die 28. Januarii.

In Octava S. Agnetis Virg. & Mart.,
Omnia ut in Festo præter Orationem.

℣. Specie tua.

Ad Magnificat Antiphona.

Stans à dextris ejus Agnus nive candidior;
 Christus sibi sponfam & martyrem consecravit.

Oratio.

DEUS, qui nos annua beatæ Agnetis Virginis
 & Martyris tuæ solemnitate latificas; da, quæ-
 sumus: ut, quam veneramur officio, etiam
 piæ conversationis sequamur exemplo. Per
 Dominum.

Commem. præc. Antiph. Gaudent in Cælis.

℣. Exultabunt Sancti. *Oratio: Infirmiorem,*

Die 29. Januarii.

De Sancta Othilia Virgine.

Oratio.

DEUS illuminator omnium gentium: qui mira
 opera virtutis tuæ in beata Othilia virgine mi-
 rabiliter demonstrasti; quæsumus immensam
 Clementiam tuam: ut, sicut ab ea nativæ cæ-
 citatis tenebras effugasti; ita nobis corporalis
 luminis gratiam, ac æternæ claritatis gloriam
 largiaris Per Dominum.

Commem. præc. Antiph. Stans beata Agnes.

℣. Diffusa est.

IN FEBRUARIO.

Feria V. post Sexagesimam.

De Inventione SS. Pueri JESV.

IN

IN I. VESPERIS.

Antiph. Ibant parentes Jesu, *cum reliquis de Laudibus.* *Psalms:* Dixit Dominus, *cum reliquis, ut in officio parvo B. M. V.*

Capitulum. Sapient. 1.

In simplicitate cordis quærite Dominum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Hymnus.

Quis cernat absque lacrymis
 Almam parentem, perdita
 Vt prole lugens, & fora
 Sionis, & lustrat vicos?
 Par nempe amoris mæror est;
 Ambo medelam respuunt,
 Dum luce Natum tertia
 In æde Patris invenit.
 Hic inter doctos assidet,
 Et cum doceri flagitat,
 Legis recludit abdita,
 Senesque puer instruit.
 Immensa quæ tunc gaudia
 Sensere matris pectora,
 O Virgo, Flos ô Virginum!
 Gratantes audi servulos.
 Fac, JESVS ut sit unicus
 Thesaurus nostris cordibus,
 Hunc quærere sit studium,
 Hunc possidère præmium.
 Jesu, Tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre & almo Spiritu
 In sempiterna Sæcula, Amen

N.

V. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas.

R. Et conversus consolatus es me.

Ad Magnificat Antiphona.

Dixit mater Jesu ad eum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego, dolentes querebamus te.

Oratio.

Console, quæsumus, Domine fideles tuos, Te in simplicitate cordis quærentes: qui per beatam Mariam Virginem Matrem tuam Te quærentem in templo es inventus; & ei post temporalem tristitiam æterna gaudia contulisti. Qui vivis.

In fine hymnorum ejusd. metri dicitur: Jesu, tibi fit gloria.

AD LAUDES & per Horas.

I. Antiph. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

Psaln. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

II. Antiph. Ascendentibus illis, remansit puer Jesus in Jerusalem; & non cognoverunt parentes ejus.

III. Antiph. Existimantes illum esse in comitatu, venerunt iter diei; & requirebant eum inter cognatos, & notos.

IV. Antiph. Non invenientes, regressi sunt in Jerusalem; & invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum.

V. Antiph. Stupebant omnes, qui eum audie-

die-

diebant, super prudentia & responsis ejus.

Capitulum. Prov. 8.

EGO diligentes me diligo; & qui mane vigilant ad me, invenient me.

Hymnus: O gloriosa Virginum, ex Officio parvo B. M. V.

℣. Quærite Dominum, & virtutem ejus.

℞. Quærite faciem ejus semper.

Ad Benedictus Antiphona.

Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

Oratio.

TUæ, quæsumus Domine, propitiationis respectum ad fideles tuos benignus converte: &, qui beatæ Mariæ Virgini Matri tuæ per triduum quæsitus tandem in templo apparuisti, Te quoque nobis ostendere in aula gloriæ tuæ digneris. Qui vivis.

Ad Primam.

Antiph. Ibant Parentes.

In ℞. brevi: ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Ascendentibus illis.

Capitulum. Cantic. 3.

IN lectulo meo per noctes quæsi, quem diligit anima mea; quæsi illum, & non inveni.

℞. *breve.* Specie tua, * Et pulchritudine tua.

℣. Intende, prospere procede, &

regna. * Et pulchritudine.

Gloria Patri, Specie tua,

℣.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℞. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio: Tuæ quæsumus, ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Existimantes illum.

Capitulum. Cantic. 3.

Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea.

℞. *breve.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo.

Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus non commovebitur. * Deus vultu.

Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, & prælegit eam.

℞. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Antiph. Stupebant omnes.

Capitulum. Cantic. 3.

Tenebo te; nec dimittam, donec introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

℞. *breve.* Elegit eam Deus, * Et prælegit eam. Elegit eam. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. * Et prælegit.

Gloria Patri. Elegit eam.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Ibant parentes, cum reliquis de Laudibus, Psalmi de B. M. V. Capitulum, & Hymnus ut in I. Vesperis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞.

Et. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat Antiphona.

Descendit Jesus cum eis, & venit Nazarteh:
& erat subditus illis.

Oratio: Consolare, quæsumus.

Fer. III. post Quinquagesimam.

In Commemoratione S. Bennonis E. C.

mutat. 3. hymni Versus.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, & protegis: da nobis, & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Suffragia,

Die I. Februarii.

De Sancta Brigida Virgine.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut, sicut de beatæ Brigidæ Virginis tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Die 3. Februarii.

De S. Wendelino Confessore, non Pont.

Oratio.

Ecclësiam tuam, quæsumus Domine, beati Wendelini Confessoris tui solemnitas votiva latificet: ut spiritualibus semper muniat^r auxiliis, & gaudiis perfruatur æternis.

Die

Die 6. Februarii.

De S. Dorothea Virgine, & Mart.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa Virgo & Martyr Dorothea multorum tormentorum genera superavit: te supplices exoramus; ut ejus meritis, & precibus cuncta pericula corporis & animæ evitemus, ipsamque celerem adjutricem in nostris necessitatibus adesse sentiamus. Per Dominum.

*Commem. præc. Antiph. stans beata Agatha.**Die 9. Februarii.*

De S. Apollonia Virgine, & Mart.

Oratio.

ÆTerne ac mitissime Deus: qui ad toleranda pro tui nominis gloria tormenta carnis, Spiritu fortitudinis electos tuos roborare non desistis; concede propicius: ut, qui gloriosæ Virginis ac Martyris tuæ Apolloniæ (quam excussis pro tui nominis confessione dentibus acerbissima morte, ab hoste maligno triumphare fecisti) Martyrium recolimus; meritis ipsius & precibus à dolore dentium, & ab omni languore corporis & animæ protegi, & eripi mereamur. Per Dominum.

Die 10. Februarii.

De S. Erhardo Episcopo, & Confessore.

*In Hymno mutat. 3. Versus.**Oratio.*

Oratio.

DEus, qui hodiernam diem nobis in beati Erhardi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate tribuisti: adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus; ut, cujus gloriatur meritis, munitur & suffragiis. Per Dominum.

Die 12. Februarii

De S. Carolo Magno, Imperatore & Conf.

*In Hymno mutat. 3. Versus.**Oratio.*

OMnipotens & misericors Deus, qui à gloria tua nullam conditionem excludis; Te suppliciter exoramus: ut sicut beato Carolo Confessori tuo post terreni culmen Imperii, cœlestis regni solium contulisti; ita meritis ejus & precibus nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum.

Die 14. Februarii

De S. Valentino Episcopo Mart.

In Vesp. Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria & honore.

In Laudibus, Antiph. Qui odit animam.

℣. Justus ut palma.

Oratio.

Concede nobis Domine per preces sanctorum tuorum: ut Festa Martyris tui Valentini sine cessatione venerantes, & fidei muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo.

*Eodem die De S. Valentino Presbytero M.**In Vesp. Antiph. & ℣. ex Laud.*

B

Oratio

Oratio.

PRæsta, quæsumus, Omnipotens Deus: ut, qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus; à cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per Dominum.

*In Laudibus Antiph. & V. ex I. Vesperis,**Die 16. Februarii.*

De S. Juliana Virgine & Mart.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas; da nobis in festivitate sanctæ Julianæ Virginis ac Martyris tuæ congrua devotione gaudere: ut & potentiam tuam in ejus passione laudemus, & provisum nobis percipiamus auxilium. Per Dominum.

Die 17. Februarii.

De S. Anastasio Martyre.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris: ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus; beati Anastasii Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

*Comm. præc. & Suffragia.**Die 17. Martii.*

De S. Gertrude Virgine.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus: qui beatam Gertrudem Virginem tuam, ex regali stirpe progenitam, speciali hospitalitatis gratia publi-

sublimasti; concede propitius: ut ejus meritis
& precibus intervenientibus, tam præsens, quam
futurum hospitium nostræ fragilitati congruum,
& tuæ Majestati gratiosè semper inveniamus
acceptum. Per Dominum.

IN APRILI.

*Feria VI. post Dominicam in Albis,
aut alia sexta Feria, si hæc sit impedita,
intra Tempus Paschale tantum. S. R. C. 1736.*

De Lancea & clavis Domini. *Dupl. 2. Class.*

Ad I. Vesperas.

*Antiph. Hasta Regem gloriæ. Cum reliquis de
Laudibus. Psalm. Dixit Dominus cum reliquis de
Dominica, & loco ultimi: Laudate Dominum
omnes gentes.*

Capitulum. Sapient. 5.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile æqui-
tatem: acuet autem duram iram in Lance-
am, & pugnabit cum illo orbis terrarum con-
tra insensatos.

Hymnus.

Pange lingua gloriosæ Lanceæ præconium;
Quæ reclusit pretiosæ cataractæ fluvium,
Passo Christo dolorosè pro salute gentium.
Hasta Gazis præoptata mundi pandit pretium,
Cordis tactu preparata fit sagitta fortium:
Arma Clavi sunt beata contra vires dæmonum.
Dulcis Hasta Dei latus spoliasti sanguine:
Dulces Clavi, qui reatos expurgastis flumine:
Ut sit mundus emundatus, & sanatus vulnere.

Haſta fulcit viatores, & timentes animat,
 Et offenſo bellatores cordis ſucco roborat,
 Clavus firmat, & dat rores, puſillosque recreat,
 Jeſu Viſtor inferorum, qui triumphas Lancea,
 Et virtute qui Clavorum reſtaurasti omnia:
 Fac, ut horum nos armorum muniant præſidia.

Ÿ. Accipiet armaturam zelus illius, alleluja.
 &. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, alleluja.

Ad Magnificat Antiphona.

GAUDE pia plebs juſtorum, omne genus Germanorum, tantis de muneribus; nam clemencia ſalutis, tibi dedit Rex virtutis ſuis de vulneribus; Clavos, Lanceam & Crucem, ut ſequaris Chriſtum ducem, alleluja.

Oratio.

DEUS, qui in aſſumptæ carnis infirmitate Clavis affigi, & Lancea vulnerari pro mundi ſalute voluisti: concede propitius; ut, qui eorundem Clavorum & Lanceæ ſolemnia veneramur in terris, de glorioſo victoriæ tuæ triumpho gratulemur in Cælis. Qui vivis, & regnas.

AD LAUDES & per Horas.

I. Antiph. Haſta Regem gloriæ Chriſtum crucentavit, dum Crucis in arbore Dominus regnavit, alleluja.

Pſalm. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

II. Antiph. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, & in ejus laudibus ſemper jubilemus, alleluja.

III. Antiph. Unus militum Lancea latus ejus
 ape-

aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, alleluja.

IV. Antiph. Fui mortuus, & ecce sum vivens
in sæcula sæculorum, alleluja.

V. Antiph. Sempiterna gaudia Christus tunc
donavit, cum Clavis & Lancea mortem superavit, alleluja.

Capitulum. Sumet Dominus, *ut supra in I. Vesp.*

Hymnus.

VERbum supernum prodiens
Salvare quod perierat,
Hasta Clavisque moriens
Complevit, ad quod venerat.

O gloriosa Lancea!
Timor tremorque dæmonum;
Regna pandis fiderea,
Per sanctæ necis meritum,

De Clavorum stigmatibus
Emanat mundi pretium,
E cunctis aromatibus
Spirans odorem cælicum,

In corde Christi mergitur
Mucro leone favior:
De forti fons exoritur,
Cibusque melle dulcior.

In Natum Pater phialam
Effudit iracundiæ,
Ut nobis cœnam maximam
Gratis suæ det gloriæ.

O Christe, nostrum gaudium,
De vulnerato latere
Da lac, & vinum depluum
Ardente corde fugere.

Precamur, Auctor omnium:
 Tu nostra sis refectio:
 Tuorum perque meritum
 Armorum sis protectio. Amen.

℣. Per sanctam Lanceam de inimicis nostris,
 alleluja.

℞. Libera nos Deus noster, alleluja.

Ad Benedictus Antiphona.

Ofelix, & omni laude digna Lancea Salva-
 toris! quæ pertransiens latus ejus chiro-
 graphum peccati affixit patibulo Crucis, alleluja.

Oratio. Deus, qui in assumptæ, *ut supra.* pag. 20.

Ad Primam.

Antiph. Hasta Regem gloriæ. *Psal.* Deus in
 nomine tuo. *cum reliq. de Psalterio.* *Capit.* Regi
 Sæculorum.

℞. *br.* Christe Fili Dei vivi, miserere nobis. *Al-
 leluja, alleluja. Christe Fili.

℣. Qui vulneratus es pro nobis. Alleluja, alleluja.
 Gloria Patri. Christe Fili.

℣. Exurge Criste.

Ad Absolut. *Capit.* *Lect. brev.* Ego sum primus,
ut infra ad Nonam.

Ad Tertiam.

Antiph. Hanc tremendam Lanceam.

Capit. Sumet Dominus.

℞. *br.* Apprehende arma, & scutum, *Allelu-
 ja, alleluja. Apprehende arma.

℣. Et exurge in adjutorium mihi. Alleluja, alleluja.
 Gloria Patri. Apprehende.

℣. Foderunt manus meas, & pedes meos, alleluja.

℞. Di-

R. Dinumeraverunt omnia ossa mea, alleluja,

Ad Sextam.

Antiph. Unus militum.

Capitulum. Apoc. 1.

Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

R. br. Foderunt manus meas, & pedes meos,
* Alleluja, alleluja. Foderunt.

Ÿ. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Alleluja,
alleluja.

Gloria Patri. Foderunt. *Ÿ.* Quem tu percussisti, persecuti sunt, alleluja. *R.* Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. Sempiterna gaudia.

Capitulum. Apoc. 1.

Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus: & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.

R. br. Quem tu percussisti, persecuti sunt, * Alleluja, alleluja. Quem tu. *Ÿ.* Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Quem tu. *Ÿ.* Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, alleluja. *R.* Attritus est propter scelera nostra, alleluja.

In II. Vesperis omnia ut in primis. pag. 19. & loco ult. Psalm. Credidi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos & Lanceam dat Ecclesiæ de inimicis victoriam, & in cælo vitam, & coronam perpetuam, alleluja.

Oratio ut supra.

Die 4. Aprilis.

De Sancto Ambrosio Episc. Confess. & Eccl. Doctore

(in Romano 7. Decembr.)

In hymno: Iste Confessor. non mutatur 3. Versus.
Ad Magnificat Antiphona: O Doctor optime,

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Ambrosium ministrum tribuisti; præsta, quæsumus: ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Die 23. Aprilis.

In Festo S. Georgii Martyris

Pro Commemoratione

Sancti Adalberti Episcopi & Martyris.

In I. Vesperis Antiphona: Filiæ Jerusalem, venite, & videte martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis, & lætitiæ, Alleluja, alleluja.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, Alleluja.

℞. Mors sanctorum ejus, alleluja.

In Laudibus, Antiph. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum, alleluja.
℣. Sancti & iusti in Domino gaudent, alleluja.
℞. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluja

Oratio

Oratio.

TUam nobis, Deus, indulgentiam sanctus Adalbertus Episcopus, & Martyr imploret; ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum,

IN MAJO.

*Die 1. Maji.**In Laudibus, Pro Commemoratione S. Walpurgæ V.*

Antiph. Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam, Alleluja.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis, Alleluja.

R. Propterea benedixit te Deus in æternum, Allel.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, castorum corporum & mentium conservator, & Custos; piis Ecclesiæ tuæ precibus adesse dignare, & intercedente beata Walpurga Virgine tua mentibus nostris pius illabere: & spiritualis vitæ nobis tribue puritatem. Per Dominum,

Die 2. Maji.

De Sancto Sigismundo Martyre.

Oratio.

DEus, cujus natura Bonitas, cujus voluntas Potentia, cujus opus Misericordia est; quæsumus, Domine: ut præclaris beati Sigismundi martyris tui meritis, tua bonitas convertat nos a malis, & conservet in bonis; tua voluntas perficiatur in nobis; tua Misericordia salvet nos: ut, sicut tua voluntas sua bonitate non potest

privari; ita nos nunquam patiaris a tua misericordia, gratia, & protectione separari. Per Dominum.

Die 4. Maji.

Pro Commemorat. Sancti Gothardi Episc. Conf.

Ad Vesper. Antiph. Sacerdos & Pontifex.

✠. Amavit eum Dominus.

In Laudibus: Antiph. Euge serve bone.

✠. Justum deduxit Dominus.

Oratio.

EXaudi Domine preces nostras, quas in beati Gothardi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis, Per Dominum.

Die 13. Maji.

Pro Commem. S. Servatii Episc. Conf.

In I. Vesp. Antiph. Sacerdos & Pontifex. ✠, Amavit eum.

In Laudibus: Antiph. Euge serve bone, ✠, Justum deduxit.

Oratio.

DEus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Servatium Episcopum, ministrum concessisti; praesta, quaesumus: ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, Intercessorem semper apud te mereamur habere in Coelis.

Eodem die.

Pro Commem.

SS. Martyrum Ægyptiorum non nominator.

In I. Vesp. Antiph. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & aeternitas temporum, alleluja.

✠. Læ-

V. Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluja.

R. Gaudium & exultationem obtinebunt, alleluja.

In Laudibus: *Antiph.* Lux perpetua lucebit, &c.
ut supra.

V. Sancti, & justi in Domino gaudete, alleluja.

R. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluja.

Oratio.

CONcede, quæsumus, Omnipotens Deus,
ad eorum nos gaudia æterna pertingere,
de quorum nos virtute tribuis annua solemni-
tate gaudere. Per Dominum.

IN JUNIO.

Dominica 3. post Pentecost.

De sancto Erasmo Episcopo, & Martyre.

Oratio.

OMnis bonitatis origo, & consummatio, Deus:
cujus gratia beatus Erasmus Martyr & Pon-
tiffex diversorum vicit genera tormentorum; fac
nos, quæsumus: ipsius intervenientibus meritis,
cunctas inimicorum nostrorum insidias supera-
re, & ab omni angustia corporis & animæ li-
berari. Per Dominum.

Commem. Dominicæ.

Die 5. Junii.

De sancto Bonifacio Episcopo, & Soc.
Martyribus.

Oratio.

DEus, qui multitudinem populorum beati
Bonifacii Martyris tui atque Pontificis, fo-
ciorumque ejus instantia, ad agnitionem tui no-
minis vocare dignatus es; concede propitius:
ut,

ut,

ut, quorum natalitia colimus, etiam patrocini-
nia sentiamus. Per Dominum.

Die 16. Junii.

De sancto **Bennone** Episcopo Con-
fessore,
Patrono Diœcesis.

In I. Vesperis. Hymnus.

Antistitum Decus Chori,
Patrone Benno Misniæ,
Quas Præful olim rexeras,
Has mitis oras aspice.
Et Saxones, & Sorabos
Doces salutis semitam:
Quæ mentibus nox incubat,
Hanc luce verbi disjicis.
Pastoris exemplo boni,
Lupi retundis impetus:
Simulacra vana subruis,
Christoque templa consecras.
Non carceres, non vincula,
Non ira terret Principum:
Ut causa perftet Numinis,
Leonis instar excubas.
Te mille per miracula
Patrem clientes sentiunt;
Precante Te fons promicat,
Vinumque fundit hydria.
Inambulantem Albis stupet,
Ad jussa ranæ conticent,
Pœnas minaris impio,
Minasque cœlum comprobat,

Quam

Quam prædicant tot exteri,
 Opem tuis ne denega;
 Cum subditis & Saxones
 Tuere semper Principes.
 Supreme Christe Pontifex,
 Jugis Tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu
 In sempiterna sæcula, Amen.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℞. Stulam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat Antiphona.

Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex: Pa-
 stor bone in populo, ora pro nobis Dominum,

Oratio.

DEus, qui nos beati Bennonis Pontificis confes-
 sione gloriosa circumdas, & protegis: da
 nobis, & ejus imitatione proficere, & interces-
 sione gaudere. Per Dominum.

Ad Laudes.

Hymnus.

CHRISTE, decreto Patris institutus
 Pontifex summo, Tibi, qui fideles,
 Quos legis, formas populis regendis
 Ipse ministros.

Hunc juvat festo celebrare cantu,
 Qui licet magnis meritis abundans,
 Flens & invitus, Duce Te, tremendum
 Sumpsit honorem.

Noverat, quantis pateat periclis
 Ille, qui summos apices adeptus,
 Omnium curas, sibi raptus uni,
 Sustinet omnes.

Fecerat

Fecerat fervens amor inquietum:
 Quo gregis chari pia cura poscit,
 Advolat promptus: mora non euntem
 Ulla retardat.

Dux iter, vita ptæunte, monstrat;
 Comprobat factis sua dicta magnis;
 Et domum sanctam bene olente Christi
 Implet odore.

Lux erat cæco, columen labanti,
 Una spes lapsæ, misero levamen,
 Providus cunctis pater, omnibusque
 Omnia factus.

Christe, Pastorum bonus ipse Pastor,
 Qui greges pascis proprio cruore,
 Fac, ut æternæ subeant opima
 Pascua vitæ. Amen.

Y. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
 R. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus Antiphona.

EUGE ferve bone & fidelis, quia in pauca fuis-
 sti fidelis, supra multa te constituam, di-
 cit Dominus.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis, *ut supra.*

*In secundis Vesperis, Hymnus: Antistitum decus,
 ut in I. Vesperis.*

Die 22. Junii.

De sanctis decem millibus Milit. Martyr.

Oratio.

DEUS, qui ad imitandum Passionis tuæ exem-
 plum, beatum Hermolaum, Alexandrum,
 Marcum, & cum eis decem millia Martyrum
 crucis

crucis supplicium subire voluisti; tribue, quæsumus: ut, qui eorum passionem veneramur in terris, Passionis tuæ remedia consequi mereamur in cælis. Qui vivis.

Commem. 1. preced. Antiph. Hic vir despiciens mundum & terrena, triumphans, divitias cælo condidit ore, manu. *℣.* Justam deduxit Dominus per vias rectas. *℞.* Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

Coelestium donorum distributor, Deus, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum pænitentia sociasti: ejus meritis, & precibus concede; ut innocentem non secuti, pænitentem imitemur.

2. Commem. Octavæ S. Bennonis.

Antiph. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, & ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℞. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio, ut supra pag. 28.

3. Commem. S. Paulini Episc. Confess.

Antiph. Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum,

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi,

℞. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oratio.

DA, quæsumus, Omnipotens Deus: ut beati Paulini Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, & devotionem nobis au-
geat,

geat, & salutem. Per Dominum.

In Laudibus. comm. 1. Octavæ.

Antiph. Euge serve bone. *Ÿ.* Justum deduxit.
2. *Comm.* S. Paulini Ep. Conf.

Antiph. Sacerdos & Pontifex. *Ÿ.* Amavit eum.

Die 25. Junii.

In Laudibus comm. S. Elogii Episcopi Confess.

Antiph. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Ÿ. Justum deduxit Dominus per vias rectas,

R. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

DEus, qui largifluo bonitatis consilio Ecclesiam tuam beati Elogii Confessoris tui atque Pontificis, præclaræ vitæ meritis decorasti, & gloriosis miraculis lætificasti; concede propitius nobis famulis tuis: ut & ipsius in melius reformemur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio protegamur adversis. Per Dominum,

IN JULIO.

Die 4. Julii.

De sancto Udalrico Episc. Confessore.

In Vesp. Antiph. Sacerdos & Pontifex. *Ÿ.* Amavit eum.

In Laudibus: Antiph. Euge serve bone. *Ÿ.* Justum deduxit.

Oratio

OMnipotens sempiterne Deus: qui nos annuo recurso depositionis sancti Udalrici
Con-

Confessoris tui atque Pontificis lætificas; ejus suffragantibus meritis concede: ut ab imminenti-
bus periculis liberemur, & æternis gaudiis
perfrui mereamur. Per Dominum nostrum.

Die 8. Julii.

De sancto Chiliano Episcopo, & sociis Martyr.

Oratio.

DEus, qui hodierna die beatum Chilianum
martyrem tuum atque Pontificem virtute
constantia in passione roborasti: quique illi ad
prædicandum gentibus gloriam tuam Coloman-
num, & Totnanum sociare dignatus es; tribue
nobis, quæsumus, ex eorum imitatione, pro
amore tuo prospera mundi despiciere, & nul-
la ejus adversa formidare. Per Dominum.

Comm. Octav. Visitat. B. M. V.

Die 11. Julii

De sancto Briccio Episc. Martulano Confess.

Compatrono Diæceseos.

In Hymno: Ilte Confessor. mutat. 3. Versus.

Oratio.

MOveat pietatem tuam, quæsumus, Domine
subjectæ tibi plebis affectus, & misericor-
diam tuam supplicatio fidelis obtineat: ut, quod
meritis non præsumit; per intercessionem sancti
Briccii Confessoris tui atque Pontificis indulgen-
tiæ tuæ largitate percipiat. Per Dominum.

Comm. 1. præc. 2. S. Pii Pp. M.

Die 13. Julii.

De sancta Margarita Virgine & Mart.

C

Oratio;

Oratio.

DEus, qui beatam Margaritam Virginem hodierna die per martyrii palmam ad cælos venire fecisti; concede nobis, quæsumus, ut ejus exempla sequentes ad te pervenire mereamur. Per Dominum.

*Commem. præc. ut in Romano.**Die 15. Julii.*

De Divisione Apostolorum.

Ad Magnificat Antiph. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, alleluja. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, alleluja. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Alleluja.

Oratio.

DEus, qui in tuorum divisione Apostolorum, gentium multitudinem in unitate Fidei ad agnitionem tui sancti Nominis convocasti: aures tuæ pietatis Ecclesiæ precibus inclina, & concede; ut, quorum prædicatione te cognovimus, horum obtentu in confessione veritatis tuæ fideliter, firmiterque maneamus. Per Dominum.

Comm. præced.

Ad Benedictus Antiphona: Convocatis Jesus duodecim discipulis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.

*Oratio ut supra.**In secundis Vesperis ad Magnificat Antiphona:*

Egressi duodecim Apostoli, circuibant per castella, evangelizantes, & prædicantes ubique.
 V, Annuntiaverunt opera Dei,

R. Et

Et facta ejus intellexerunt. *Oratio ut supra.*

Die 20. Iulii. (in Roman. 15.)

De S. Henrico Imperatore & Confessore.

omnia ut in Romano.

In Hymno: Ilte Confessor. mutatur 3. Versus.

Et in Oratione omittuntur verba: hodierna die.

Die 27. Julii.

De sancto Hieronymo Æmiliano Confessore.

In hymno: Ilte Confessor. mutat. 3. Versus.

Oratio.

DEus misericordiarum Pater: per merita & intercessionem beati Hieronymi, quem Orphanis adiutorem & Patrem esse voluisti; concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur & fumus, fideliter custodiamus, Per Dominum.

Comm. octav. S. Annæ.

IN AUGUSTO.

Die 3. Augusti.

De Inventione S. Stephani Protomartyris;

& Nicodemi, Gamalielis, & Abibonis

Confessorum.

Omnia ut in Romano, præter Orationem.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere: quia ejus; ac Sociorum ipsius Confessorum Inventionem celebramus; qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Je-

sum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit,
& regnat.

Die 5. Augusti.

Pro Commem. Sancti Oswaldi Regis & Martyris.

Ad Vesp. Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria & honore.

In Laudibus Antiph. Qui odit animam suam.

℣. Justus ut palma.

Oratio.

OMnipotens sempiternæ Deus, qui beatum
Oswaldum Martyrem tuum benignæ lar-
gitatis honore, palmaque martyrii decorasti;
concede nobis propitius: ut, cujus memoriam
agimus in terris, ejus apud te auxilium sentiamus
in cælis. Per Dominum nostrum.

Die 7. Augusti.

De Sancto **DONATO** Episcopo & Mar-
tyre,

Patrono Diœcesis, cum Octava.

Oratio.

DEus tuorum gloria sacerdotum: præsta, quæ-
sumus, ut sancti martyris tui & Episcopi
Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxi-
lium. Per Dominum.

*In Laudibus pro Commemoratis, S. Afræ & So-
ciarum Martyrum,*

Antiph. Date ei de fructu manuum suarum,
& laudent eam in portis opera ejus.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine Deus noster, sanctarum Martyrum, Afræ & Sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Die 19. Augusti.

De sancto Sebaldio Confessore.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus: qui vitam sancti Sebaldi Confessoris tui per hujus seculi ærumnas laudabilem transire fecisti; quæsumus: ut ejus intercessione plebem Clementiæ tuæ supplicentem, in præsentī commemoratiōne foveas, & post hujus vitæ cursum ad cælestia regna perducas. Per Dominum.

Commem. 1. de Octava Assumpt. B. M. V.

2. de S. Magno Martyre.

Antiph. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram,

V. Gloria & honore coronasti eum Domine.

R. Et constituisti eum super opera manuum tuarum

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & intercedente beato Magno martyre tuo ab hostium nos defende propitiatus incursum. Per Dominum.

In Laudibus comm. 1. Octava Assumpt. B. M. V.

2. S. Magni Martyris.

Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo,
in vitam æternam custodit eam.

℣. Justus ut palma florebit.

℞. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio: Adesto Domine. *ut supra.*

Die 25. Augusti.

De sanctæ Hedwigis Viduæ Translatione.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Omnipotens Deus, in
te semper gloriari, & concede propitius:
ut, qui sanctæ Hedwigis translationem devote
colimus, ipsius adjuti auxilio, tuam gratiam
sentiamus. Per Dominum.

Die 27. Augusti.

De sancto Josepho Calasancio Confessore.

In Hymno: Iste Confessor. *mutat. 3. Versus.*

Oratio.

DEus, qui per sanctum Josephum Confesso-
rem tuum ad erudiendam spiritum intelligen-
tiæ, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ
tuæ subsidium providere dignatus es; præsta,
quæsumus: nos ejus exemplo & intercessione
ita facere, & docere, ut præmia consequamur
æterna. Per Dominum.

Pro Commem. Sancti Ruffi Martyris.

Antiph. Iste sanctus. *℣.* Gloria & honore, *ut supra 37.*

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris; ut
beati Ruffi martyris tui intercessione confi-
dentes, nec minis adversantium, nec ullo tur-
bemur

bemur incurfu. Per Dominum.

In Laudibus pro Commem.

Antiph. Qui odit. *℣.* Justus ut palma. *ut supra pag. 37*

IN SEPTEMBRI.

Die 1. Septembris.

De sancta Joanna Francisca Fremiot de
Chantal, Vidua.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui beatam
Joannam Franciscam tuo amore succensam
admirabili spiritus fortitudine per omnes vitæ
semitas in via perfectionis donasti; quique per
illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole vo-
luisti; ejus meritis & precibus concede: ut, qui
infirmittatis nostræ conscii de tua virtute confi-
dimus, cælestis gratiæ auxilio cuncta nobis ad-
versantia vincamus. Per Dominum.

Comm. 1. preced.

2. *Commem.* Sancti Ægydii Abbatis.

Antiph. Similabo eum viro sapienti, qui ædifi-
cavit domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℞. Stulam gloria induit eum.

Oratio.

Intercessio nos, quaesumus Domine, beati Æ-
gydii Abbatis commendet: ut, quod nostris
meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur.

3. *Comm.* SS. Xysti, Prisci, Sisinnii MM.
& Verenæ V.

Antiph. Istorum est enim regnum cælorum, qui

contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti.

℞. Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio

OMnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, & martyrum palma: solennitatem hodiernæ diei propitius intueri; & Ecclesiam tuam fac continua celebritate lætari: & intercessione beatorum martyrum tuorum Xysti, Prisci, Sifinnii, atque Verenæ, omnium in te credentium vota perficias.

4. *Comm.* Sanctorum duodecim Fratrum, Martyrum.

Antiph. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℞. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

FRaterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet: quæ & fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, & multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum.

In Laudibus Officii. S. Joannæ Franciscæ,

1. *Comm.* de S. Ægydio Abbate.

Antiph. Euge serve bone. ℣. Justum deduxit,

Oratio: Intercessio, *ut supra.*

2. *Comm.* SS. Xysti, Prisci &c. Mm.

Antiph. Vestri capilli, ℣. Exultabunt,

3. *Com-*

3. *Commem.* Sanctorum duodecim Fratrum Mm.
Antiph. Istorum est. *Ÿ.* Latamini.

Oratio ut supra.

Prime Vesperæ de sequenti proprie, cum comm. præc.

Die 2. Septembris.

In Susceptione sanctæ Coronæ spinæ.

Dupl. maj.

Ad I. Vesperas.

I. Antiph. Filia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper.

Psal. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.

III. Antiph. Ille asperget gentes multas: super ipsum continebunt reges os suum.

IV. Antiph. Ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super folio suo; & corona erit memoriale in templo Domini.

V. Antiph. Magnificencia tua, Deus, in diademate capitis illius sculpta erat.

Capitulum. Cantic. 3.

EGredimini filix Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua.

Hymnus.

CHristi cruentæ splendida principum
 Non certet unquam purpura purpuræ:
 Junco palustri scepra cedant,
 Textilibus diadema spinis,

His fretus armis, victor athenos
 Postes revulfit, claustraque tartari;
 Cætusque captivos piorum
 In patrias revocavit arces.
 Quin & premebat, quos fera servitus,
 Tristi gementes eripuit iugo;
 Et nocte damnatos profunda,
 Ad superas dedit ire sedes.

Hæc tincta cæsi sanguine prædicat
 Dei suppelles: hinc aliam nefas
 Ambire gazam Christianis,
 Morte quibus redimenda vita.
 Qui nos creavit, maxima laus Patri:
 Qui nos redemit, maxima Filio:
 Qui consecrando nos inungis,
 Par tibi laus, utriusque nexus. Amen.

℣. Da imperium tuum puero tuo, Domine.

℞. Ut videant, qui oderunt me, & confundantur.

Ad Magnificat Antiphona.

Conculcabitur corona superbiæ: & in die illa
 erit Dominus exercituum corona gloriæ, &
 fertum exultationis residuo populi sui.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut, qui
 in memoriam Passionis Domini nostri Jesu
 Christi Coronam ejus spineam veneramus in
 terris; ab ipso gloria & honore coronari me-
 reamur in cælis. Qui tecum.

Commem. præcedentis.

AD LAUDES, & per Horas.

I. Antiph. Vidi cælum apertum; & ecce qui
 sedebat, vocabatur Fidelis & Verax; & cum
 justis

justitia judicat, & pugnat.

Pfalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Laudibus Dominicae.*

II. Antiph. Oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa.

III. Antiph. Vestitus erat veste aspersa sanguine; & vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

IV. Antiph. Habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

V. Antiph. Data est ei corona; & exivit vincens, ut vinceret.

Capitulum.

Isaia 61.

GAudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdabit me, quasi sponsum decoratum corona.

Hymnus.

EXite, filia Sion
 Regis pudicæ Virgines:
 Christi coronam cernite,
 Quam mater ipsa texuit.
 Horret, revulsis crinibus,
 Spinis cruentatum caput;
 Et vultus ille decolor
 Mortem propinquam respicit.
 Quæ terra fulcis invia,
 Dumis rigens. & sentibus,
 Lugubre manus protulit?
 Quæ sæva messuit manus?
 Christi rubescens sanguine,
 Aculeos mutat rosis,

Pal-

Palmanque vincens fructibus;
 Spina est triumphis aptior,
 Culpis fatæ mortalium
 Te, Christe, spinæ vulnerant:
 Evelle nostras, cordibus
 Tuasque nostris infere.
 Qui nos creavit, laus Patri:
 Laus, qui redemit Filio:
 Qui nos fovet, laus Flamini:
 Uni Deo sit gloria. Amen.

℣. Regnum tuum Domine, regnum omnium
 seculorum.

℞. Et Dominatio tua in omni generatione &
 generationem.

Ad Benedictus Antiphona. Coloss. 2. 15.

CHRISTUS expolians principatus & potestates,
 traduxit confidenter, palam triumphans il-
 los in semetipso.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, Omnipotens Deus; ut,
 qui in memoriam Passionis Domini nostri Je-
 su Christi coronam ejus spineam veneramur in
 terris; ab ipso gloria & honore coronari me-
 reamur in cælis. Qui tecum vivit & regnat,

Ad Primam.

Antiph. Vidi cælum apertum.

In ℞. br. ℣. Qui passus es pro nobis.

Ad Tertiam.

Antiph. Oculi ejus.

Capitulum. Gaudens gaudebo. ut supra in Laudibus.

*℞. br. Exiit Jesus * Portans spineam coronam Exiit.*

℣. Et

FESTA SEPTEMBRIS, 45

Ÿ. Et purpureum vestimentum. * Portans,
Gloria Patri. Exiit.

Ÿ. Corona aurea super caput ejus.

℞. Expressa signo sanctitatis. *Oratio ut in Laudibus.*

Ad Sextam.

Antiph. Vestitus erat.

Capitulum. *Isai 28.*

In illa die erit Dominus Exercituum corona gloriae, & sertum exultationis residuo populi sui.

℞. *br.* Corona aurea * super caput ejus. Corona,

Ÿ. Expressa signo sanctitatis. * Super.

Gloria Patri. Corona aurea.

Ÿ. Eris corona gloriae in manu Domini.

℞. Et diadema regni in manu Dei tui.

Ad Nonam.

Antiph. Data est ei corona.

Capitulum. *Apocal. 14.*

Vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream.

℞. *br.* Eris corona gloriae * In manu Domini.

Eris corona.

Ÿ. Et diadema regni in manu Dei tui. * In manu.

Gloria Patri. Eris corona.

Ÿ. Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion,

℞. Dominare in medio inimicorum tuorum.

In II. Vesperis.

I. Antiph. Gratia vobis & pax a Jesu Christo, qui est testis fidelis, & princeps regum terrae.

Psalmi ut in I. Vesperis, & loco ultimi, Psalm.

Credidi.

II. An-

46 FESTA SEPTEMBRIS.

II. Antiph. Dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo Patri suo.

III. Antiph. Oportet illum regnare, donec ponat Deus omnes inimicos sub pedibus ejus.

IV. Antiph. Dum evacuaverit omnem principatum, novissima inimica destruetur mors.

V. Antiph. Eum, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.

Capitulum, & Hymnus ut supra in I. Vesperis.

℣. Gloria & honore coronasti eum Domine.

℞. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.

Ad Magnificat Antiphona.

ECce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Oratio ut supra.

Commem. S. Stephani Regis Confessoris.

Antiph. Similabo eum. *℣.* Amavit eum.

Oratio ut in Romano.

Die 4. Septembris.

In Festo sancti Lazari a Christo resuscitati.

Duplex.

Ad I. Vesperas.

I. Antiph. Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororum ejus.

Psalms: Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, *Psalms:* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Miserunt sorores ejus ad Jesum dicen-

centes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

III. *Antiph.* Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

IV. *Antiph.* Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut a somno excitem eum.

V. *Antiph.* Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus.

Capitulum. Ezech. 37.

HÆc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris: & scietis, quia ego Dominus.

Hymnus.

Reditum luci, Domino vocante
Lazarum, turbæ, domitamque mortem
Laudibus festis, modulisque sacri
Dicite cantus.

Ille, qui Christum meruit frequenti
Hospitem gaudens recreare mensa,
Fætidus clauso, data præda morti,
Conditur antro.

Heu! tua præsens ope si jacenti,
Fata qui præscis, Deus, astitisses;
Viveret, necdum premerentur atra
Lumina nocte.

Jamque mors, vitæ Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata prædam:
Nunc & extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrymis honoras
Hospitis funus, fremituque prodis,
Quam

Quam pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Vt Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs Tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Venite, & videte opera Domini.

℞. Quæ posuit prodigia super terram.

Ad Magnificat Antiphona.

Dixit Jesus manifeste: Lazarus mortuus est;
& gaudeo, ut credatis; quoniam non eram
ibi: sed eamus ad eum.

Oratio.

DEus, qui per Unigenitum tuum, beatum
Lazarum quatrduanum mortuum de mo-
numento resuscitasti: erige nos, quæsumus, de
peccatorum tumulis: ut ab inferni faucibus so-
luti, ipsum in omnibus malis nobis imminen-
tibus perpetuum apud Te Intercessorem & Pro-
tectorem sentiamus. Per eundem Dominum
nostrum.

*Commem. l. preced. Antiph. Hic vir. ℣. Ju-
stum deduxit Dominus.*

*Et, si venerit infra Octav. SS. Angelorum, 2.
Com. Octava.*

AD LAUDES, & per Horas.

*I. Antiph. Jesus venit ad monumentum La-
zari. Erat autem spelunca, & lapis superpo-
situs erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem.*

*Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Do-
minica.*

II. An-

II. *Antiph.* Dicit Martha, sorore ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam factet; quatrduanus est enim.

III. *Antiph.* Dicit Martha Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei?

IV. *Antiph.* Voce magna clamavit Jesus: Lazare veni foras; & statim prodiit, qui fuerat mortuus.

V. *Antiph.* Prodiit Lazarus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit Jesus: solvite eum.

Capitulum. Ezech. 37.

HÆc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris; & scietis, quia ego Dominus,

Hymnus.

PAnditur saxo tumulus remoto,
Intimos clamor penetrat recessus,
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadaver.

Proh stupor! notas repetit medullas
Spiritus; cæcam pedibus revinctus
Dum viam carpit, sibimet superstes
Prodit & hæres.

Ipsa sic ruptis inimica vinculis
Mors fugit, vinci patiens: futuris
Summa præcludit tua sic triumphis,
Christe, potestas.

Vt Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs Tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen,

D

✠, Eri-

℣. Eripuisti animam meam de morte.

℞. Ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Ad Benedictus Antiphona. Joan. u.

Multi ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant, quæ fecerat Jesus, crediderunt in eum.

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum beatum Lazarum quatrduanum mortuum de monumento resuscitasti: erige nos, quæsumus, de peccatorum tumulis: ut ab inferni faucibus soluti, ipsum in omnibus malis nobis imminetibus perpetuum apud Te intercessorem & Protectorem sentiamus. Per eundem Dominum,

Commem. Octavæ SS. Angelor.

Ad Primam.

Antiph. Jesus venit ad monumentum.

Ad Tertiam.

Antiph. Dicit Martha,

Capitulum. Hæc dicit Dominus &c. *ut supra in Laud.*

℞. *br.* De ventre inferi clamavi, * Et exaudivisti vocem meam. De ventre. ℣. Projecisti me in profundum, * Et exaudivisti. Gloria Patri, De ventre.

℣. Sublevabis de corruptione vitam meam;

℞. Domine Deus meus.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Dicit Marthæ Jesus,

Capitulum

Capitulum. Thren. 3.

Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum: Dixi, Perii: invocavi nomen tuum de lacu novissimo.

R. br. Spera in Domino. * Et ipse faciet. Spera.

V. Et dabit tibi petitiones cordis tui. * Et ipse.

Gloria Patri. Spera in Domino.

V. Dominus amat iudicium.

R. Et non derelinquet sanctos suos.

Ad Nonam.

Antiph. Prodiit Lazarus.

Capitulum. Osee 13.

DE manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, o mors! morsus tuus ero inferne.

R. br. Humiliatus sum, * Et liberavit me.

Humiliatus..

V. Eripuit animam meam de morte. * Et liberavit.

Gloria Patri. Humiliatus sum.

V. Conscidisti saccum meum.

R. Ut cantet tibi gloria mea.

I. Vesp. de sequenti, cum Commem. precedentis.

Si vero Officium S. Lazari transfertur, II. Ve-

speræ erunt, ut sequitur.

Ad II. Vesperas.

Antiphona, Capitulum, Hymnus & Versus ut in Laudibus. Psalmi de Dominica, & loco ul-

timi, Psal, Laudate Dominum omnes gentes.

D 2

Ad

Ad Magnificat Antiphona. Joann. 12. 9.

Turba multa ex Judæis venerunt Bethaniam, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

Oratio ut supra.

Die 5. Septembris.

De sancta Rosalia Virgine Panormitana.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beata Rosaliæ Virginis tuæ festivitate gaudeamus; ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

In I. Vesp. comm. præc. Antiph. Turba multa. ut supra
℣. Eripuisti animam meam de morte.

℞. Ut placeam coram Deo in lumine viventium

Oratio, Deus, qui per Unigenitum.

Die 6. Septembris.

De sancto Albino Episcopo & Confessore.

In Hymno mutat. 3. Versus.

Oratio.

Deus, qui animam famuli tui beati Albini Confessoris atque Pontificis per sanctos Angelos tuos ad te perduxisti; quæsumus: ut ejus meritis & precibus animas nostras ad te, qui vere Paradisus es, clementer suscipere digneris. Per Dominum nostrum.

Die 13. Septembris.

Pro Commemoratione

Sancti Materni Episcopi & Confessoris.

Ad

Ad Vesperas; Antiph. Sacerdos & Pontifex.
 ✠. Amavit eum Dominus.

In Laudibus; Antiph. Euge serve bone, & fidelis.
 ✠. Justum deduxit Dominus.

Oratio.

DEus, qui beatum Maternum Confessorem tuum, atque Pontificem per merita beati Petri Apostoli tui, quadragesimo die a morte resuscitasti; & eundem exinde per annos quadraginta Pontificali insula decorasti; tribue quaesumus: ut, quem tot miraculis in terra coruscare videmus, ejus apud tuam misericordiam precibus adjuvemur. Per Dominum.

Die 17. Septembris.

Pro Commemoratione

Sancti Lamberti Episcopi & Martyris.

In I. Vesp. Antiph. Ille sanctus. ✠. Gloria, & honore.

In Laudibus; Antiph. Qui odit animam suam,
 ✠. Justus ut palma.

Oratio.

DEus, qui hujus diei venerandam solennitatem in beati Lamberti Martyris tui atque Pontificis transitu decorasti; adesto familiae tuae precibus, & da: ut, cujus hodie festa celebramus, ejus meritis & intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Die 22. Septembris.

Pro Commemoratione

Sancti Emmerami Episcopi & Martyris.

In Vesperis; Antiph. Ille sanctus.

✠. Gloria & honore.

D 3

In

In Laudibus: Antiph. Qui odit animam suam.
 ✠. Justus ut palma.

Oratio.

DEus, qui beatum Emmeramum Martyrem tuum atque Pontificem inter vincula liberum, inter tormenta securum, gratiæ tuæ ubertate fecisti; quæsumus clementiam tuam: ut in nobis flammam corporalium passionum misericordiæ tuæ imbre extinguas, & ignem beatæ charitatis clementer infundas. Per Dominum,

Die 23. Septembris.

De sancto Victore Martyre.

In I. Vesperis: Antiph. Ille sanctus. ✠. Gloria & honore.

In Laudibus: Antiph. Qui odit animam. ✠. Justus ut palma.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris: ut, qui ex iniquitate nostra reos nosse cognoscimus; beati Victoris Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

Comm. S. Thecla V. & M. ut in Romano.

Die 24. Septembris.

In Festo Gaudiorum B. V. Mariæ. *Dupl. maj.*

Ad I. Vesperas.

Antiph. Lauda, & lætare. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi ex officio parvo B. M. V.*

Capitulum.

Isai 61.

GAudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumda-

cumdabit me quasi sponfam ornatam monili-
bus suis.

Hymnus.

GAUDE Virgo Mater Christi,
Quia Jesum concepisti
Gabriele nuncio.

Gaude Mater Deo plena,
Novo gignens sine pœna
Factum puerperio.

Gaude, quod ab oriente
Magi stella prælucente.
Dona ferunt Filio.

Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati,
Fulget resurrectio.

Gaude, Cœlos ascendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.

Gaude, quia Paracletus
Missus cœlo, novos factus
Igne format Entheco.

Gaude, quæ post Christum scandis
Astra Cœli, atque grandis
Nati sis consortio.

O fac Fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio. Amen.

*Alii Hymni Horarum terminantur: Jesu, tibi
sit gloria.*

V. Dignare me laudare te Virgo sacrata.
R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

BEATAM me dicent omnes generationes, quia
fecit

fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus,

Oratio.

DEus, qui hodiernæ diei jucunditatem in Jesu Christi & Mariæ laudibus nos venerari fecisti; præsta, quæsumus: ut, qui ejusdem Matris Gaudiorum memoriam celebramus; a piissimi Filii tui, & Matris ejus gratia nunquam excidamus. Per eundem.

Commem. S. Victoris Martyris.

Antiph. Qui vult venire post me.

X. Justus ut palma. *Oratio ut supra pag. 54.*

Ad Laudes, & per Horas.

Antiphonæ.

I. Antiph. Lauda, & lætare Filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui.

Psaln. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

II. Antiph. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

III. Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, & circumdedisti me lætitia.

IV. Antiph. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ confortibus tuis.

V. Antiph. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.

Capitulum. Sophon. 3.

LÆtare, & exulta in omni corde filia Jerusalem: abstulit Dominus judicium tuum; avertit inimicos tuos: Rex Israel Dominus in medio tui.

Hym-

Hymnus.

O gloriosa Virginum,
 Sublimis inter sidera,
 Qui te creavit, parvulum
 Lactante nutris ubere.

Quod Eva tristis abstulit,
 Tu reddis almo germine;
 Intrent ut astra flebiles,
 Cæli recludis cardines.

Tu Regis alti janua
 Et aula lucis fulgida:
 Vitam datam per Virginem
 Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi fit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, & almo Spiritu,
 In sempiterna secula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus Antiphona. Luc. 1.

Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Oratio.

DEUS, qui hodiernæ diei jucunditatem in Jesu Christi & Mariæ laudibus nos venerari fecisti; præsta, quæsumus: ut, qui ejusdem Matris gaudiorum memoriam celebramus: a piissimi Filii tui & Matris ejus gratia nunquam excidamus. Per eundem.

Ad Primam.

Antiph. Lauda, & letare.

In ℞. brevi dicitur ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

D 5

Ad

Ad Tertiam.

Antiph. Beata, quæ credidisti.

Capitulum: Latere, & exulta, ut in *Laudibus*,

R. br. Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie.
V. Intende, prospere procede, & regna, * Et
 pulchritudine.

Gloria Patri. Specie tua.

V. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam.

Antiph. Convertisti planctum.

Capitulum. *Psal.* 86.

FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis; diligit
 Dominus portas Sion super omnia taberna-
 cula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te civitas
 Dei. Lætantium habitatio est in te.

R. br. Adjuvabit eam, * Deus vultu suo. Adjuvabit

R. Deus in medio ejus non commovebitur. * De-
 us vultu.

Gloria Patri. Adjuvabit.

V. Elegit eam Deus, & prælegit eam.

R. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Antiph. Fortitudo & decore.

Capitulum. *Judith* 13.

NOMEN tuum Dominus ita magnificavit, ut
 non recedat laus tua de ore hominum, qui
 memores fuerint virtutis Domini in æternum.

R. br. Elegit eam Deus, * Et prælegit eam,
 Elegit.

V. In

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam.

* Et praelegit.

Gloria Patri. Elegit eam.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis,

℞. Propterea benedixit te Deus in aeternum,

I. Vespera de sequenti, nihil de praecedenti.

Si vero Officium Gaudiorum B. V. alicubi propter festum Dedicationis, Patroni, aut Tituli Ecclesiae transferri contingat: secunda Vespera erunt, ut hic notatur.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis. pag. 54.

℣. Dignare me, laudare te,

Ad Magnificat Antiphona. Judith 13. 22.

Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

Oratio ut supra.

IN OCTOBRI.

Die 1. Octobris.

De SS. Remigio, Germano, & Vedasto
PPont. CConf.

In hymno: Iste Confessor, mutat. 3. Versus.

Antiph. Sacerdos & Pontifex, & Virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℞. Stulam gloriae induit eum.

Oratio.

DA, quaesumus omnipotens Deus, ut beatorum Remigii, Germani, & Vedasti Confessorum

forum tuorum atque Pontificum veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

In Laudibus comm. 1. Octavæ S. Wenceslai Martyris
Antiph. Qui odit animam suam in hoc mundo,
in vitam aeternam custodit eam,

℣. Justus ut palma florebit.

℞. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio.

DEus, qui beatum Wenceslaum per martyrii palmam a terreno principatu ad caelestem gloriam transtulisti: ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, & ejusdem tribue gaudere consortio.

2. *Comm. S. Hieronymi Conf.*

Antiph. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℞. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris scripturis beatum Hieronymum Confessorem tuum, Doctorem maximum providere dignatus es; præsta, quæsumus: ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum,

Die 2. Octobris.

De sancto Othone Episcopo & Confessore.

In hymno: Iste Confessor, mutat, 3. Versus.

Oratio,

Oratio.

DEus, cujus virtute beatus Otho Confessor tuus & Pontifex ad solidandas in fide gentes incredulas, rapidi fluminis cursum prece restrinxit; concede propitius: ut, qui doctor in terris factus est infidelium populorum, pro nobis pius intercessor efficiatur apud te in Cælis.
Per Dominum.

Comm. 1. præc. Antiph. Amavit eum. V. Justum deduxit.

Oratio ut supra.

2. *Comm. Oct. S. Wenceslai M.*

Antiph. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

V. Justus ut palma florebit.

R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. Oratio supra pag. 60.

3. *Comm. Oct. S. Hieronymi Conf. Antiph. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Hieronyme, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.*

V. Os justii meditabitur sapientiam.

R. Et lingua ejus loquetur judicium.

Oratio ut supra.

In Laudibus comm. 1. & 2. Octavar. ut supra p. 60.

Die 3. Octobris.

De sancto Josepho a Cupertino Conf. non Pont.

A Clemente XIV. 8 Augusti 1769.

In hymno: Iste Confessor, mutatur 3. Versus.

Ad Magnificat Antiphona.

Mortuus sum, & vita mea est abscondita cum Christo in Deo,

V. Ama-

Ÿ. Amavit eum Dominus & ornavit eum.

R. Stulam gloriæ induit eum.

Oratio.

DEUS, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti: perface propitius, ut meritis & exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad Eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit.

In 1. Vesperis Comm. 1. precedentis.

Antiph. Amavit eum. Ÿ. Justum deduxit.

2. *Comm. S. Wenceslai Martyris.*

Antiph. Qui vult venire. Ÿ. Justus ut palma.

3. *Comm. Oct. S. Hieronymi Confessoris;*

Antiph. O Doctor. Ÿ. Os justii meditabitur.

Ad Benedictus Antiphona.

Oscendit mihi (Dominus) fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crySTALLUM procedentem de sede Dei, & Agni.

Com. 1. Oct. S. Wenceslai M. p. 60.

2. *Octav. S. Hieronymi Antiph. O Doctor.*

Ÿ. Amavit eum.

In II. Vesperis. Ad Magnificat Antiphona.

Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei,

Comm. 2. Oct. S. Wenceslai M.

Antiph. Qui vult venire. Ÿ. Justus ut palma.

3. *Comm. Oct. S. Hieron. Presbyteri Confessoris*

Antiph. O Doctor, Ÿ, Os justii. Oratio pag. 60.

Die

*Die 10. Octobris.**Pro Commemoratione*

Sanctorum Gereonis & Sociorum Martyrum

In Vesperis: Antiph. Istorum est enim regnum Caelorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iusti.

℞. Et gloriamini omnes recti corde.

In Laudibus: Antiph. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℞. Lætabuntur in cubilibus suis.

*Oratio.***D**Eus, qui nos annua beatorum Martyrum tuorum Gereonis, Victoris, Cassii, atque Florentii, Sociorumque eorum solennitate lætificas; præsta, quæsumus: ut, quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum,*Die 16. Octobris.**Pro Commemoratione Sancti Galli Abbatis.**Antiph.* Similabo eum Viro. ℣. Amavit eum.*Oratio.***D**Eus, qui nos annua beati Galli Confessoris tui Solennitate lætificas; concede propitius:
ut,

ut, cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

In Laudibus pro Commem. ejusdem.

Antiph. Euge serve bone. *℣.* Justum deduxit.

Oratio ut supra.

Die 20. Octobris.

De sancto Joanne Cantio Confess. non Pont.

A Clemente XIV. d. 8. Sept. 1770.

Oratio.

DA quæsumus Omnipotens Deus, ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum.

Ad I. Vesperas, & ad Laudes.

Hymnus.

Gentis Polonæ gloria,
 Clerique splendor nobilis,
 Decus Lycei, & Patriæ
 Pater, Joannes inlyte.
 Legem superni Numinis
 Doces Magister, & facis.
 Nil scire prodest: sedulo
 Legem nitamur exequi,
 Apostolorum limina
 Pedes viator visitas;
 Ad Patriam, quam tendimus,
 Gressus, viamque dirige.
 Urbem petis Jerusalem;
 Signata sacro sanguine

Christi

Christi colis vestigia,
 Rigasque fufis fletibus,
Acerba Christi vulnera
 Herete nostris cordibus,
 Ut cogitemus confequi
 Redemptionis pretium.
Te prona mundi machina
 Clemens adoret Trinitas,
 Et nos novi per gratiam
 Novum canamus canticum, Amen.

Ad II. Vesperas.

Hymnus.

TE deprecante corporum
 Lues recedit, improbi
 Morbi fugantur, pristina
 Redeunt salutis munera.
Phtisi, febri que, & ulcere
 Diram redactos ad necem,
 Sacratas mortis victimas
 Ejus rapis e faucibus.
Te deprecante tumido
 Merces abactæ flumine,
 Tractæ Dei potentia
 Surfum fluunt retrogradæ.
Cum tanta possis, sedibus
 Cæli locatus, poscimus;
 Responde votis supplicum,
 Et invocatus subveni.
O una semper Trinitas:
 O Trina semper Unitas!
 Da supplicante Cantio
 Æterna nobis præmia, Amen.

E

Die

Die 21 Octobris.

De sancta Urfula Virgine & Martyre,
& Sociabus ejus Virginibus & Martyribus.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, & in Laudibus ad Benedictus.

V. Adducentur Regi Virgines post eam.

R. Proximæ ejus afferentur tibi.

Antiphona. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: Ecce, sponsus venit, exite obviam ei.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum & Martyrum tuarum, Urfulæ & Sociarum ejus, palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

*Alia Oratio de iisdem SS. VV.
ex antiquo Breviario Misnensi.*

DEus, qui digne tibi sacratis Virginibus mirandi agonis robur indidisti, quo Martyrii palmam ad supernæ contemplationis pertingerent gloriam; præsta, quæsumus: earum nos intercessionibus adjuvari, quas hodierna die transcenso mortis stadio, in cælestibus fecisti triumphare. Per Dominum.

Comm. i. precedentis.

Antiph. Hic Vir despiciens mundum & terrena, triumphans, divitias cælo condidit ore, manu.
V. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
R. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio ut supra, pag. 64.

2. Comm.

2. *Comm. Octava sanctæ Hedwigis Viduæ.*

Antiph. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem & panem otiosa non comedit

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum,

Oratio.

DEUS, qui beatam Hedwigem a seculi pompa ad humilem tuæ crucis sequelam toto corde transire docuisti: concede, ut ejus meritis & exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, & in amplexu tuæ crucis omnia nobis adversantia superare. Qui vivis & regnas cum Deo,

3. *Comm. Sancti Hilarionis Abbatis.*

Antiph. Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum,

℞. Stulam gloriæ induit eum.

Oratio.

INtercessio nos, quæsumus Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

In Laudibus: Comm. 1. Oct. S. Hedwigis Vid.

Antiph. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.

℣. Diffusa est. &c. & *Oratio ut supra.*

2. *Comm. S. Hilarionis Abbatis.*

Antiph. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui,

E 2

℣. Ju.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℞. Et ostendit illi regnum Dei,

Oratio ut supra.

In II. Vesperis, *Ad Magnificat ℣. & Antiphona
ut supra in primis Vesperis.*

Comm. 1. Diei Octavae S. Hedwigis Viduae.

2. S. Severi Episcopi Confessoris, *ut infra.*

Die 22. Octobris.

In Octava sanctae Hedwigis Viduae.

Antiph. Simile est Regnum Caelorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam,

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℞. Intende, prospere procede, & regna,

Oratio ut supra pag. 67.

Pro Commem. Sancti Severi Episcopi & Conf.

Antiph. Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex: pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum,

℞. Stulam gloriae induit eum.

Oratio.

DEus, qui hodiernam diem nobis in beati Severi Confessoris tui atque Pontificis solennitate tribuisti; adesto propitius Ecclesiae tuae precibus; ut, cujus gaudemus meritis, muniamur & suffragiis. Per Dominum,

In Laudibus comm. ejusdem.

Antiph. Euge serve bone, ℣. Justum deduxit.

Oratio ut supra.

Die

Die 23. Octobris.

De sancto Severino Episcopo & Confessore.
Antiph. Sacerdos & Pontifex. *℣.* Amavit eum.

Oratio.

Misericordiam tuam nobis Domine, quæsumus, interveniente beato Severino Confessore tuo atque Pontifice, clementer impende; & nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per Dominum.

Die 25. Octobris.

De sanctis Crispino & Crispiniano Martyribus.

Antiph. Istorum est enim regnum Cælorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.

℞. Et gloriâmini omnes recti corde.

Oratio.

Magnificet te Domine sanctorum Martyrum tuorum Crispini, & Crispiniani sancta solemnitas: qua & illis gloriam sempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contulisti.

2. *Commem.* Sanctorum Chrysanthi, & Dariae Mart.

Antiph. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℞. Lætabuntur in cubilibus suis.

E 3

Oratio.

Oratio.

Beaatorum Martyrum tuorum, Domine, Chrysanthi & Dariæ, quæsumus, adfit nobis Oratio: ut, quos veneramur obsequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium. Per Dominum.

In Laudib. Pro SS. Crispino & Crispiniano Mm.
Antiph. Vestri capilli. V. Exultabunt sancti.

Oratio ut supra.

Pro Comm. SS. Chrysanthi & Dariæ Martyrum.
Antiph. Istorum est. V. Lætamini in Domino,
Oratio: Beatorum, ut supra.

Die 26. Octobris.

In Festo Commemorationis Beatæ MARIÆ
Virginis. Duplex majus.
Ad I. Vesperas Antiphonæ.

I. Antiph. Ait Dominus Deus ad serpentem:
 Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa
 conteret caput tuum.

Psalmi ex Officio parvo B. V. M.

II. Antiph. Quæ est ista, quæ progreditur
 quasi aurora confurgens, pulchra ut luna, e-
 lecta ut sol?

III. Antiph. Præcepit mihi, qui creavit me;
 & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

IV. Antiph. Ne timeas Maria; invenisti enim
 gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero,
 & paries filium.

V. Antiph. Unde hoc mihi, ut veniat Mater
 Domini mei ad me? Benedicta tu in mulieri-
 bus, & benedictus fructus ventris tui,

(Capitulum)

Capitulum. Prov. 8.

BEatus homo, qui audit me, & qui vigilat
ad fores meas quotidie, & observat ad postes
ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam,
& hauriet salutem a Domino.

Hymnus.

MEmento de Deo Deus,
Quod matre natus Virgine,
Nostri misertus, perditum
Mundi Redemptor veneris.

Et Tu tuorum sis memor,
Quæ dum modesto pectore
Te dicis ancillam Dei,
Regina mundi diceris.

Amicta sole femina,
Lunamque subjectam premens,
Biffena cui cingunt caput
Fulgore miro sidera.

O Tu, clientum cui preces,
Cui vota cordi, Judicem
Præbere nobis, quod potes,
Patrona placatum velis.

Sit nostra per te laus Patri;
Tuoque grata Filio,
Et utriusque Flamini
In seculorum sæcula. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℞. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

TOta pulchra es amica mea, & macula non
est in te; veni de Libano, sponsa mea; ve-
ni, coronaberis.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriosissimæ Virginis Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante preparasti; da, ut cujus Commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, & a morte perpetua liberemur. Per eundem. In unitate ejusdem.

Commem. sancti Evaristi Papæ & Martyris.

Antiph. Ille sanctus. *Ÿ.* Gloria & honore.

Oratio: Infirmiorem. *ut in Romano.*

Ad Laudes & per Horas.

Antiphonæ.

I. Antiph. Noli metuere, non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

II. Antiph. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem?

III. Antiph. Cum essem parvula, placui Altissimo, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

IV. Antiph. Ave gratia plena: Dominus tecum, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

V. Antiph. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino,

Capitulum. *Prov. 8.*

BEatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino,

Hym-

Hymnus.

Nunc aurora, novæ nuntia lucis,
Tristes orbe procul dissipat umbras,
O quam lucidior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo refulges!

O quæ nunc habitas lucida regna,
Mittas inde tuæ munera lucis:
Te si terra dedit munus Olympo,
Quæ non dona memor reddet Olympus?

Inter perpetuos Numinis haustus,
O Regina, tibi sanguine junctum
Ne dedisce genus: nostra fuisti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.

Divinæ Soboli qui dare matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Nato:
Quo sæcunda, tibi gloria Flamen. Amen

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus Antiphona.

Surrexit Rex in occursum ejus; positusque
est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dex-
teram ejus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosis-
sima Virginis Mariæ corpus & animam, ut
dignum Filii tui habitaculum effici mereretur,
Spiritu sancto cooperante præparasti: da, ut
cujus Commemoratione letamur, ejus pia in-
tercessione ab instantibus malis, & a morte per-
petua liberemur. Per, eundem. In unitate
ejusdem,

Pro Commemorat. S. Evaristi Papæ & Martyris.

Antiph. Qui odit animam. *Ÿ.* Justus ut palma,

Oratio: Infirmi-*ut in Romano,*

Ad Primam.

Antiph. Noli metuere.

In Rōio br. *Ÿ.* Qui natus es de Maria Virgine,

Ad Tertiam.

Antiph. Quæ est ista.

Capitulum: Beatus homo, *ut in Laudibus,*

R. br. Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie
Ÿ. Intende, prospere procede, & regna.

* Et pulchritudine.

Gloria Patri. Specie tua.

Ÿ. Ajuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Cum essem parvula.

Capitulum.

Prov. 8.

EGo diligentes me diligo: & qui mane vigi-
lant ad me, invenient me. Mecum sunt
divitiæ & gloria, opes superbæ, & justitia.
Melior est enim fructus meus auro, & lapide
pretioso, & genimina mea argento electo.

R. br. Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Ad-
juvabit.

Ÿ. Deus in medio ejus non commovebitur,

* Deus vultu.

Gloria Patri. Adjuvabit.

Ÿ. Elegit eam Deus, & prælegit eam.

R. In

R. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Oratio ut supra.

Ad Nonam.

Antiph. Beata, quæ credidisti.

Capitulum. Eccli. 24.

QUI edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

R. *br.* Elegit eam Deus, * Et prælegit eam.
Elegit.

V. In tabernaculo suo habitare facit eam.

* Et prælegit.

Gloria Patri. Elegit eam.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis.

R. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio ut supra.

In II. Vesperis.

Antiphona: Noli metuere, *cum reliquis ut supra in Laudibus.* Psalmi consueti ex Officio parvo B. M. V.
Capitulum, Hymnus, & Versus, ut in I. Vesperis.

Ad Magnificat Antiphona. Apocal. 12. 1.

Signum magnum apparuit in Cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus; & in capite ejus corona stellarum duodecim.

Oratio ut supra.

Die 30. Octobris.

De sancto Theodorito Presbytero Martyre.

Oratio.

DEUS, qui beatum Theodoritum regali sacerdotio

cerdotio decoratum, in sancta Antiochena Ecclesia pro tua fide Catholica intrepidum permanere voluisti; quem & ipsa gladii Martyrio coronasti; da nobis, quæsumus: ut, cujus natalitia colimus, ipsius orationibus ab omnibus animæ & corporis protegamur adversis. Per Dominum nostrum.

In II. Vesperis Commem. sequentis.

IN NOVEMBRI.

Die 6. Novembris.

De sancto Leonardo Abbate.

Oratio.

MAjestati tuæ, quæsumus, Domine beati Leonardi Abbatis nos pia jugiter commendet oratio: ut, quem devoto veneramur officio, ipsius suffragio relevemur optato. Per Dominum.

Comm. Octave Omnium sanctorum.

Die 7. Novembris.

Pro Commemoratione

Sancti Willebrordi Episcopi & Confessoris.

Ad Vesp. Antiph. Sacerdos & Pontifex.

V. Amavit eum.

In Laudibus: Antiph. Euge serve bone.

V. Justum deduxit Dominus.

Oratio.

OMnipotens sempiternæ Deus: qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis; quique hodierna die beatum Willebrordum Confessorem tuum atque Pontificem æterna beatitudinis gloria sublimasti; concede propitius: ut, qui ejus
merita

merita veneramur in terris; intercessionis ejus auxilio apud tuam misericordiam muniamur in cælis. Per Dominum.

*Alia Oratio de eodem
ex antiquo Breviario Misnensi.*

PRæsta, quæsumus, Omnipotens Deus; ut, sicut beatus Willebrordus tibi placita fulsit forte Pontificatus; ita pietati tuæ pia nos supplicatione commendet. Per Dominum.

Die 12. Novembri.

De sancto Livino Episcopo & Martyre.

Oratio.

DExtera tua, quæsumus, Domine graviter corruentes erigat; & intercessione beati Livini Martyris tui atque Pontificis a peccatorum vinculis, quibus stringimur, eruat; & ab hostium laqueis, quibus tenemur, potenter eripiat. Per Dominum.

In Laudibus comm. Off. S. Martini Ep. C.

Die 13. Novembris.

Pro Commem. S. Briccii Episcopi & Confessoris.

In Vesperis: Antiph. Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex: pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

℞. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

In Laudibus: Antiph. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, dicit Dominus.

℣. Elegit eum Dominus. ut supra.

Oratio.

MOveat pietatem tuam, quæsumus, Domine

ne, subjectæ tibi plebis affectus; & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat: ut, quod meritis non præsumit, per intercessionem sancti Brictii Confessoris tui atque Pontificis indulgentiæ tuæ pietate percipiat. Per Dominum,

Die 15. Novembris.

In Commemoratione SS. Passionis Domini.

Duplex majus.

Ad Primas Vesperas

Antiphonæ.

I. Antiph. Cæpit Jesus pavere & tædere; & ait discipulis suis: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Psalms. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalmus* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

III. Antiph. Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.

IV. Antiph. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & duxerunt ad domum Principis sacerdotum.

V. Antiph. Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit. Quid adhuc egemus tæstibus? At illi dixerunt: Reus est mortis,

Capitulum

Capitulum. Hebr. 5.

CHristus in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia; & factus est obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.

Hymnus.

Fando quis audivit? Dei
Quis grande dicat brachium?
Percussa mens confunditur;
Stupet fides, vox deficit.

Ab orbe, Jesu, condito
Occisus agnus, nunc Patri
Priscis adumbratam sacris
Ardes litare victimam.

At cur humi stratus jaces?
Quis iste merentis pavor?
Quis iste, qui toto fluit
Sudor cruentus corpore?

Hunc vis doloris exprimit,
Horrorque teter criminum;
Vices nocentum sustinens,
Iram reformidas Patris.

Te terret objectus calix:
At ille, ni totum bibas,
Per sempiterna nos manet
Exhauriendus secula.

Vincet pavorem charitas:
Vincet voluntas patria:
Temet potestati, Deus
Tradis tenebrarum volens.

Et jam flagellis, ictibus,
Ludibriis, spinis, Cruci,

Piacu-

Piacularis hostia,
 Voves adorandum caput,
 Qui Filium tradit, Patri,
 Natoque sit laus victimæ;
 Par sit tibi laus, qui sacram
 Succendis aram, Spiritus. Amen.

℣. Libera me a persequentibus me.
 ℞. Quia confortati sunt super me.

Ad Magnificat Antiphona.

Viri qui tenebant illum, illudebant ei, & conspuerunt in faciem ejus, & colaphis cæciderunt, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?

Oratio.

DEus, qui per Unigenitum tuum passum & humiliatum usque ad mortem, antiqui hostis contrivisti superbiam: da fidelibus tuis, & quæ ipse propter nos pertulit, digne recolare, & adversa omnia ejus exemplo patienter tolerare. Qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum.

Comm. 1. precedentis.

Antiph. Qui vult venire. ℣. Justus ut palma.
2. Comm. octavæ S. Martini Episc. Conf.

Antiph. O beatum Pontificem. ℣. Justum deduxit,

Ad Laudes & per Horas.

I. Antiph. Posuit Pilatus titulum super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazare-
 nus, Rex Judæorum.

Psalms. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

II. Antiph. Prætereuntes blasphemabant eum,
 moven-

moventes capita sua, & dicentes: Salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce.

III. Antiph. Cum vidisset Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

IV. Antiph. Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum.

V. Antiph. Ad Jesum cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.

Capitulum. Hebr. 12.

CUrramus per patientiam ad propositum nobis certamen; aspicientes in Auctorem fidei, & Consummatorem Jesum; qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.

Hymnus.

DUM Christe, confixus cruci

Agis supremos spiritus,

Fac nos salubri figere

Intenta ligno lumina.

Anguis veneno perfidi

Infieta nobis vulnera

Pendentis e celsa trabe

Sanabit aspectus Dei.

Hic nos olympo parturis;

Hic Martyres formas tuos;

Hic ultimo sanctam fidem

Fundas amoris pignore.

F

Hinc

Hinc cuncta terrarum, suo
 Regnator ut sedens throno,
 Utrinque protensæ manus
 Virtute Divina trahis.

Nos ergo cælestis thronum
 Sinas adire gratiæ,
 Pedemque complexos crucis
 Tuo rigari sanguine.

O spes salutis omnium,
 Crux vera mundi gloria,
 Infixa semper hæreas,
 Imisque regnes cordibus.

Qui Filium tradit, Patri,
 Natoque sit laus victimæ:
 Par sit tibi laus, qui sacram
 Succendis aram Spiritus. Amen.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum.

℞. Et livore ejus sanati fumus.

Ad Benedictus Antiphona.

OMnis turba eorum, qui simul aderant ad
 spectaculum istud, & videbant, quæ fie-
 bant, percutientes pectora sua revertebantur.

Oratio.

DEus, qui per Unigenitum tuum passum &
 humiliatum usque ad mortem, antiqui ho-
 stis contrivisti superbiam: da fidelibus tuis, &
 quæ ipse propter nos pertulit, digne recolere,
 & adversa omnia ejus exemplo patienter to-
 lerare. Qui tecum vivit & regnat,

Commem. Octava S. Martini Episcopi & Conf.

Ad Primam.

Antiph. Posuit Pilatus titulum.

In Kyrio br. V. Qui passus es pro nobis.

Ad Tertiam.

Antiph. Prætereuntes blasphemabant,

Capitulum: Curramus per patientiam, *ut supra*
in Laudibus.

R. br. Vere languores nostros * Ipse tulit. Vere.
V. Et dolores nostros ipse portavit. * Ipse tulit.
Gloria Patri. Vere languores,

V. Disciplina pacis nostræ super eum.

R. Et livore ejus sanati sumus.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Cum vidisset Jesus.

Capitulum. 1. Petri 2.

CHristus passus est pro nobis: qui peccatum non fecit, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.

R. br. Ipse vulneratus est * Propter iniquitates nostras. Ipse.

V. Attritus est propter scelera nostra. * Propter iniquitates.

Gloria Patri. Ipse vulneratus.

V. Oblatus est, quia ipse voluit.

R. Et non aperuit os suum.

Ad Nonam.

Antiph. Ad Jesum cum venissent.

Capitulum. Zach. 13.

IN die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.

℞ *br.* Deus, Rex noster * Operatus est salutem. Deus.

℣. In medio terræ. * Operatus.

Gloria Patri. Deus, Rex noster.

℣. Apud Dominum misericordia.

℞. Et copiosa apud eum redemptio.

In II. Vesperis.

Antiphona: Posuit Pilatus, cum reliquis de Laudibus. *Psalms.* Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, *Psalms:* Credidi.

Capitulum. Hebr. 12.

Curramus per patientiam; ut supra in Laudibus.

Hymnus.

DUm spargit aram sanguine
Jesu salutis hostia,
Præfens doloris æmulum
Maria pectus immolat.

Caput cruentum Filii
Matris coronat verticem:
Clavis iisdem figitur
Christus cruci, Christo parens.

O passionis mutæ,
Jesu, Maria, Conscii!
Alterna vobis vulnere
Inferre tandem parcite.

Quem vos doletis, noster est
Error furorque criminum:
Totum scelus fatentibus
Partem doloris reddite.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimæ;

Par

Par fit tibi laus, qui facram
Succendis aram, Spiritus. Amen,

℣. Videbunt, in quem transfixerunt.

℞. Et dolebunt super eum, ut in morte
Primogeniti.

Ad Magnificat Antiphona.

DEponentes Dominum de cruce, posuerunt
eum in monumento, quod erat excisum in
petra, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Oratio ut supra.

*Comm. 1. Sequentis. 2. Oct. S. Martini E. C. 3. S.
Othmari Abbatis, ut infra.*

Die 16. Novembris.

Pro Commemoratione Sancti Othmari Abbatis.

In Vesperis: Antiph. Similabo eum viro sapien-
ti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℞. Stulam gloriæ induit eum.

In Laudibus: Antiph. Euge ferve bone, & fide-
lis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa
te constituam, intra in gaudium Domini tui.

℣. Amavit eum Dominus.

Oratio.

BEati Othmari Abbatis supplicatione, quæ-
sumus Domine, plebs tua benedictionem
tuam percipiat; ut de ejus meritis & felicitate
glorietur, & æternæ Societatis lætitia gratul-
etur. Per Dominum,

Die 26. Novembris.

Pro Commem. Sancti Conradi Episcopi & Conf.

Ad Vesp. Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Justum deduxit Dominus.

Oratio.

DEus, qui beatum Conradum Confessorem tuum atque Pontificem, sanguinis generositate præclarum, vitæ sanctitate & miraculorum vigore clariorem fecisti; concede: ut virtutum ejus meritis, de ejus beneficiis gloriemur, & a te, quod nostræ fragilitati suffragatur, obtinere mereamur.

Eodem die

Pro Commem. S. Petri Alexandrini Episc. Mart.
Antiph. Ille sanctus. ℣. Gloria & honore.

Oratio: Infirmiorem, ut in Romano.

In Laudibus. Comm. 1. Oct. S. Catharinæ V. & M.

2. Commem. S. Conradi Episc. & Conf.

Antiph. Euge serve bone. ℣. Amavit eum.

Oratio ut supra.

3. Comm. S. Petri Alexandrini Ep. M.

Antiph. Qui odit animam, ℣. Justus ut palma.

Die 27. Novembris.

De sancto Nicasio Episcopo & Martyre.

Oratio.

DEus, qui beatum Nicasium Episcopum & Matyrem tuum æterni luminis claritate mirabiliter decorasti: da nobis per ipsius suffragia, corporalis lucis adminiculo sic sustentari, ut etiam luce gratiæ fulti in cælesti gaudio lumen gloriæ percipere mereamur. Per Dominum.

Comm. 1. præcedentis. Antiph. Hic Vir despiciens. ℣. Justum.

2. Comm. S. Oct. Catharinæ V. & M.

Die

Die 29. Novembris.

Pro Commemoratione

Sanctorum Saturnini & Mauri Martyrum.

In Vesperis: Antiph. Istorum est enim regnum
cælorum, qui contempserunt vitam mundi,
& pervenerunt ad præmia regni, & laverunt
stolas suas in sanguine Agni,

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.

℞. Et gloriamini omnes recti corde.

In Laudibus: Antiph. Vestri capilli capitis omnes
numerati sunt: nolite timere, multis passe-
ribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℞. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

DEus, qui nos beatorum Saturnini & Mauri
Martyrum tuorum concedis natalitio perfrui;
eorum nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum.

IN DECEMBRI.

Die 4. Decembris.

In Festo sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris.

Duplex II. Classis cum Octava.

Omnia de Communi Virginum, præter Orationem.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, ro-
rem tuæ benedictionis meritis & intercessi-
one beatae Barbaræ Virginis & Martyris tuæ
benignus infunde: ut, qui ejus imploramus
auxilium, celerem tuæ propitiationis sentiamus
effectum. Per Dominum.

Commem. 1. præc. 2. ferie.

Oratio.

Oratio. Servi Dei de se humiliter sentientis.

Ex S. August. Lib. Meditat. c. 10.


SCio Domine, scio & fateor, quod non sum dignus, quem tu diligas; sed certe tu non es indignus, quem ego diligam. Indignus quidem sum tibi fervire; sed tu non es indignus fervitio creaturæ tuæ. Da ergo mihi Domine, unde tu es dignus; & ego ero dignus, unde sum indignus. Fac me, quomodo vis, a peccatis cessare; ut, quomodo debeo, possim tibi fervire. Concede mihi sic custodire, & regere, & finire vitam meam, ut in pace Dormiam, & in te requiescam. Præsta mihi in finem, ut me excipiat somnus cum requie, requies cum securitate, securitas in æternitate. Amen.

Alia. Pro voluntate Divina perficienda.

Ex Joanne Gersono.

Concede mihi benignissime Jesu gratiam tuam, ut mecum sit & mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret. Da mihi semper desiderare & velle, quod tibi magis acceptum est, & charius placet. Tua voluntas mea sit, & mea voluntas tuam sequatur semper, & optime ei concordet: & sit mihi unum velle & nolle tecum: nec aliud posse, velle aut nolle, nisi quod tu vis & nolis. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt, & propter te amari, contemni, & nesciri in hoc seculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura, & inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est, in te uno, summo & æterno bono dormiam & requiescam, Amen.

SIT LAVS DEO, HONORQUE EX HOC, NVNC,
& SEMPER.



von

NR 2653

VD 18

f

ULB Halle 3
004 774 744



Sb.

W. C.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2

ORATIONES PROPRIÆ

DE

SANCTIS

EXEMPTÆ DIOECESIS

ROMANO - MISNENSIS;

UNA CUM ADNEXIS

AD VESPERAS, LAUDES,
& HORAS,

SECUNDUM CELEBRITATEM FESTI,
ANTIPHONIS NOVIS, & HYMNIS

Anno 1773. editis.

...ibus & Orationes de iis sanctis, quorum Officia
... Univerſa Eccleſia conceſſa noviffime prodierunt,
... inferta ſunt.

...udiffinæ, Litteris A. H. Winckleri
Typographi, Anno MDCCCLXXVI.